

Sum. theol., I-II, q. 26, a. c: « Agens autem naturale duplicem effectum inducit in patiens: nam primo quidem dat formam; secundo autem dat motum consequentem formam ». Quare si paritas supponi potest, intellectus agens et phantasma non solum imprimunt speciem intelligibilem (quae est forma in intellectu possibili recepta) sed etiam dant motum consequentem istam formam (qui motus est intelligere). At si paritas eum agente naturali negatur, manet quod operatio (intelligere) est perfectior quam forma (species) ideoque motorem proportionatum in specie habere non potest.

In IV Sent., d. 49, q. 3, a. 2 sol.: « Ultimum autem et perfectissimum in unoquoque est sua operatio; unde omnis forma inhaerens comparatur ad operationem quodammodo ut potentia ad actum; propter quod forma dicitur actus primus ut scientia; et operatio, actus secundus, ut considerare, ut patet in II de Anima [lect. 11 359 ss.].

De Pot., q. 5, a. 5 ad 14m: « ...obiectio illa procedit de actu secundo, qui est operatio manens in operante, qui est finis operantis, et per consequens excellentior quam forma operantis ». Cf. *In I Sent.*, d. 35, q. 1, a. 5 ad 4m; *De Malo* q. 1, a. 5 c; *Sum. theol.*, I-II, q. 3, a. 2; q. 49, a. 3 ad 1m; III, q. 9, a. 1 c; a. 4 c. Etiam vide loca supracitata: *De proportionem inter actum et potentiam*.

Cum his concordant quae de voluntate docentur. In operibus prioribus usque ad partem primam *Summae de theologia*, non videtur esse sermo de voluntate se ipsam movente, sed regit principium Aristotelicum « appetibile apprehensum movet appetitum » et libertas in eo fundatur quod « ratio circa contingentia habet viam ad opposita » [*Sum. theol.*, I, q. 83, a. 1 c.]. Dicitur quidem « quod liberum arbitrium est causa sui motus quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum » [I, q. 83, a. 1 ad 3m]. Dicitur etiam quod voluntas movetur ex se [I, q. 105, a. 4 ad 2m & 3m]. At deesse videtur expressio haec « voluntas se movet ». Vide *Theol. Stud.*, III (1942), 533-37.

Explicite tamen in *Q. D. de Malo*, q. 6, et *Sum. theol.*, I-II, q. 9, a. 3 c., ponitur quod voluntas se movet, non quia in voluntate habentur agens et possibile sicut in intellectu [I, q. 83, a. 4 ad 3m], sed quia voluntas in actu circa finem se reducit de potentia in actum circa medium. Actus autem circa finem est ex exteriori principio [I-II, q. 9, a. 4] quod principium est solus Deus [*Ibid.*, a. 6] qui hominem movet tum ad bonum universale tum per gratiam ad bonum particu-

lare [*Ibid.*, a. 6 ad 3m]. Patet ergo voluntatem esse motam et non moventem in actu quo finem vult; et hoc explicite dicitur circa gratiam operantem [I-II, q. 111, a. 2 c].

Quae omnia nullam faciunt difficultatem dummodo S. Thomae non imponatur sententia aliena de actu vitali, nempe, potentias viventium se movere ad omnes suos actus. Sine tali opinione S. Thomas optime explicat tum vitam in genere [I, q. 18, a. 2] tum vitam in Deo [*Ibid.*, a. 3] qui certe est motor immobilis.

Apparentes vero difficultates duplicem habent fontem quorum primus est oblivio naturae. Secundum Aristotelem motor vel movens per se est quid extrinsecum: definitur enim principium motus vel mutationis in alio secundum quod aliud. E contra, principium motus vel quietis, in eo in quo est motus, ponitur tanquam definitio naturae. Cumque omnes potentiae sunt principia motus in eo in quo est motus, patet omnes habere rationem naturae easque ex principio intrinseco atque naturaliter tum formas recipere tum actus secundos.

Alius fons difficultatum apparentium est usus frequens terminologiae cuiusdam non-Aristotelicae. Intellectus specie vel habitu informatus est potentia activa, principium actionis, formale principium actionis, et praeterea principium effectus. Quae tamen omnia dicuntur secundum terminologiam quae ab Avicenna derivari videtur, neque ullo modo caeterae doctrinae thomisticae contradicunt. Uti expresse docetur, processio operationis perficit operantem et ideo admitti non potest talem processionem nisi Deo esse realem [*De Ver.*, q. 4, a. 2 ad 7m]. Imo, quamvis in operibus prioribus secundum hanc terminologiam forma gravitatis in gravibus dicatur principium activum et potentia activa, nihilominus negatur hoc motus principium esse motorem [Textus enumerantur, *Theol. Stud.*, VIII (1947), 418].

9. Applicatio ad actum intelligendi.

Quae dicta sunt, si ad actum intelligendi applicentur, in unum quoddam reduci possunt.

Intelligere, ergo, est perfectio, actus secundus, actus perfecti, motus late dictus. Dicitur vel actio operatio, non sensu factio- nis (*poiësis*) sed sensu actus (*energeia*).

Aut infinitus actus est aut finitus. Si infinitus, est ipsum intel- ligere et simpliciter idem quod ipsum esse. Praeterea, cum pariter

APPENDIX II

DE ACTU INTELLIGENDI

Ut verbum interius seu conceptus intelligibiliter emanare possit, omnino necesse est ut ante intelligamus quam verbum seu conceptum intus formemus. Quo in actu priori aliquid sane intelligimus. Neque huius actus obiectum potest esse verbum quod nondum formatum sit. Relinquitur ergo ut intellectus noster non solum conceptualia sed etiam praconceptualia obiecta perspiciat. Secus non quia intelligamus conceptiones formarem sed, ut docent Scotistae, quia conceptiones inconscio quodam modo formatae essent, intelligere possemus.

Quid ergo de hac quaestione senserit S. Thomas, breviter nunc exponendum est. Neminem enim fugere potest quanti sit momenti haec quaestio, cum inconscia verbi formatio illam emanationem intelligibilem tolleret, quam SS. Trinitatis analogiam psychologicam esse duximus.

1. *Obiectum.*

Obiectum definitur a S. Thoma secundum habitudinem causalem ad potentiam et actum. Quare obiectum aut est movens quod in potentia actum efficit, aut est terminus qui ab actu producit, aut est finis in quem potentia per actus tendit.

Sum. theol., I, q. 77, a. 3 c: « Omnis enim actio vel est potentiae activae vel passivae. Obiectum autem comparatur ad actum potentiae passivae, sicut principium et causa movens: color enim in quantum movet visum, est principium visionis. Ad actum autem potentiae activae comparatur obiectum ut terminus et finis: sicut augmentativae virtutis obiectum est quantum perfectum, quod est finis augmenti ».

Pariter: *De Ver.*, q. 16, a. 1 ad 13m; *In II de Anima*, lect. 6 § 305; *Q. D. de Anima*, a. 13 c; *Sum. theol.*, I-II, q. 18, a. 2 ad 3m. *Theol. Stud.*, VIII (1947), 433 ss.

Unde concludes notionem obiecti non esse primitivam sed in notiones potentiae, actus, moventis, et finis seu termini reduci. Qua de causa noli loqui de attingentia obiecti quin cogites quamnam habitudinem bene definitam dicere velis.

2. De Obiecto Intellectus ut Fine et Termino.

Obiectum intellectus ut finis est ens in tota sua latitudine. Intellectus enim est quo est omnia facere et fieri, neque omnia ad genus quoddam restringi potest. *Sum. theol.*, I, q. 79, a. 7 c.

Obiectum vero intellectus ut terminus intra ipsum intellectum productus est verbum cordis seu verbum interius; et quia duplex est operatio intellectus, duplex etiam est terminus immanenter productus, nempe, verbum incomplexum seu definitio, et verbum complexum seu enuntiatio seu verum vel falsum. Ita *De Ver.*, q. 4, a. 2; q. 3, a. 2; *De Pot.*, q. 8, a. 1; q. 9, a. 5; *Quodl.* V, a. 9; *In Ioan.*, cap. 1, lect. 1.

Existentia verborum interiorum ex significatione verborum exteriorum probatur. Loquimur enim de «homine» vel de «triangulo», et ita loquentes aliquid sane significamus. Nisi ergo quis credit universalia subsistere a parte rei, necessario ponit universalia in mente concepta quae directe et immediate per voces exteriores significantur. Iterum, sermo humanus aut verum aut falsum proponit. Quid ergo est id quod significatur directe et immediate per sermonem falsum? Nisi cum neopositivistis ponis sermones falsos nihil significare, necessario agnoscis verbum complexum intus in mente formatum et a sermone exteriori directe et immediate significatum. Tandem denique credimus omnes quod sermo humanus etiam res significat, et tamen hominem non credimus nisi sermo sit verus. At verum et falsum sunt in mente, immo veritas in solo iudicio formaliter est. Iterum ergo concludendum est voces exteriores significare res, non quidem immediate, sed mediantibus verbis interioribus atque veris.

Primo ergo et per se voces exteriores sive ore prolatae sive scriptis consignatae sive imaginatione repraesentatae et significant et non significantur. E contra, res significantur sed primo et per se non significant. Verba vero interiora et significantur et significant: significantur quidem per verba exteriora; significant autem ipsa res.

Qua de causa, caveas ne confundas verba interiora sive cum actu intelligendi sive cum actu cogitandi, definiendi, supponendi, considerandi, affirmandi, negandi. Verbum enim interius est id ipsum quod intelligitur, cogitatur, definitur, supponitur, consideratur,